

jecta dicantur. Huc accedit, quod facultates sint operationū gratia. E. operationes præstabunt facultatibus; quia finis semper est potior his, quæ ad finem diriguntur, Et per consequens, si facultates sint in categoria Substantiæ, operatio, quæ est accidens, potior erit Substantia, quod est absurdū.

I I.

Utrum omne Ens sit Bonum,

Affirmativa pars manifesta est, tam ex Scriptura, quam ex Philosophorum placitis. Gen. 1. extat, D E U M vidisse, quæ condidit, omnia esse valdè bona. Et Sap. 11. Eundem diligere omnia, quæ sunt, & nihil odisse eorum, quæ fecit. Non enim odiosum aliquid constituisse & fecisse. Plotin. Ennead. 6. lib. 7. c. 38. ait; de quo prædicatur Est, de eodem prædicatur Est bonum. Nihil enim ad eò malum est, nihil ad eò in Entitate sua imperfectum, & debile est, quin bonitatem quandam involvat. Aristoteles idem suo comprobatur calculo lib. 1. Eth. c. 6. quando disputans contra ideam boni Platoniam docet: Bonum totidem dici modis quot Ens. Nam & in Substantia dici Bonum, ut D E U S & mens; Et in Qualitate, ut virtus; in quantitate Bonum est mediocre, & in eo quod est ad aliquid, ut utile, & in tempore occasio.

I I I.

Possitne aliquid dici Philosophicè verū esse, quod tamen Theologicè falsum sit, & contra? N.

Verum enim vero consonat, id quod eleganter, ut solet omnia, exprimit Aristot. Prior. Anal. c. 32. δὲ πᾶν τὸ ἀληθὲς αὐτὸ ἑαυτῷ ὁμολογούμενον εἶναι πάντη. Et 1. Eth. c. 8 τὸ μὲν ἀληθεῖ πάντα συναδῆ τὰ ὑπάρχοντα, τῷ δὲ ψευθεῖ ταχὺ διαφωνεῖ τῆ ἀληθείς.

An